

lia immiscuit in medium iudicium introducens: unde sequitur: *Et tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Hieronymus (prope finem Comm. in 16. cap. Matth.) Non est enim distinctio Judæi & Gentilis, viri & mulieris, pauperum & divitum, ubi non personæ, sed opera considerantur. *Chrysostomus* (ut supra.) Hoc autem dixit, non solum peccatoribus penas commemorans, sed iustis bravia, & coronas. *Hieronymus.* Poterat autem Apostolorum tacita cogitatio illiusmodi scandalum sustinere. Occisionem, & mortem nunc dicis esse futuram; quod autem promittis te asserturum in gloria, in tempora longa differatur. Prævidens ergo occultorum cognitor quid possent objicere, præsentem timorem præsentis compenlat præmio, dicens: *Amen dico vobis. Sicut quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec veniat Filius hominis in regno suo: Chrysostomus* (hom. 57.) Volens ergo monstrare quid est illa gloria in qua postea venturus est, eis in præsentia vita revelavit, sicut possibile erat eos discere, ut neque in Domini morte jam doleant. *Remigius.* Quod ergo hic dicitur, impletum est in tribus discipulis, quibus Dominus transfiguratus in monte, gaudia æternæ reprobationis ostendit; qui viderunt eum in regno suo venientem, idest in ea claritate fulgentem in qua, peracto iudicio, videbitur ab omnibus sanctis. *Chrysostomus* (ubi supra.) Propter hoc autem non prædicat nomina eorum qui ascensuri erant in montem, quia reliqui valde concupiscerent sequi, exemplum illius gloriæ visuri, & graviter tulissent velut despecti. *Gregorius* (hom. 32. in Evang.) Vel regnum Dei, præsens Ecclesia vocatur: & quia nonnulli ex discipulis ejus usque adeo in corpore victuri erant ut Ecclesiam Dei constructam conspicerent, & contra hujus mundi gloriam erectam,

(1) *Al.* videns.

## C A P U T X V I I .

(a) **E**T post dies sex assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos: & respicere facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix; & ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum: Moyse unum, & Eliæ unum.

(b) Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos: & ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde; & accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte præcepit illis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem hanc, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

(c) Et interrogaverunt eum discipuli ejus: dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam

consolatoria promissione nunc dicitur: *Sunt quidam de hic stantibus.* Origenes (tract. 3. in cap. 16. Matth. cir. finem) Moraliter autem Verbum Dei his qui noviter inducuntur ad fidem, formam habet servi, perfectis autem venit in gloria Patris sui. Angeli autem illius sunt Prophetarum sermones, quos non est possibile ante spiritualiter intelligere nisi cum spiritualiter intellectum fuerit verbum Christi, ut videantur simul apparere in majestate. Tunc autem dabit unicuique de gloria sua secundum actum ejus quia quanto quis melior fuerit in actibus suis, tanto spiritualiter intelligit Christum, vel Prophetas ipsius. Stantes autem, ubi stat Jesus, sunt qui fundatas habent apud Jesum animæ bases: ex quibus qui melius stant, dicuntur non gustare mortem, donec videant Verbum Dei; quod venit in regno suo, (1) videntes eminentiam Dei, quam videre non possunt qui diversis involuti sunt peccatis; quod est mortem gustare, qua peccans anima moritur. Sicut enim vita est, & panis vivus qui de caelo descendit, sic & inimica ejus mors panis est mortuus. Ex istis autem panibus quidam modicum manducant, tantum gustantes; quidam autem abundantius: qui enim raro, & modicum peccant, tantummodo gustant mortem; quia autem perfectius susceperint spiritualem virtutem, non gustant eam, sed vivo pane semper vescuntur. Quod autem dicit, *Donec videant non distinctum tempus, ut postquam transferit illud donec, fiat quod ante non fuerat factum; sed rem quæ necessaria est, exponit: qui enim semel videt eum in gloria ejus, jam nequaquam gustabit mortem.* *Rabbanus.* Sanctos autem mortem gustare testatur, a quibus mors corporis quasi libando gustatur, vita vero animæ possidendo tenetur.

## I E C A P U T X V I I .

Eliam oporteat primo venire? At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum; sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis.

(d) Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur, nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Er obtuli eum discipulis tuis; & non potuerunt curare eum. Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum? Usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpavit illum Jesus; & exiit ab eo demonium, & curatus est puer ex illa hora.

(e) Tunc accesserunt discipuli ejus ad Jesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eicere illum? Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc: & transibit; & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eicitur nisi per orationem, & jejunium.

(f) Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum; & occidetur eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

(g) Et cum venisset Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait, Etiam: & cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel censum; a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hammum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus inveniens staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.

(a) **R**emigius. Claritatem suæ visionis, quam promiserat Dominus discipulis suis, in hac transfiguratione habita in monte post sex dies complevit: unde dicitur: *Et post sex dies assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus.* Hieronymus (in Comm. super 17. cap. Matth.) Queritur autem quomodo post sex dies assumpsit eos, cum Lucas Evangelista octonarium numerum ponat. Sed facilis est responsio: quia hic medii ponuntur dies, ibi primus additur, & extremus. *Chrysostomus* (hom. 57.) Ideo autem non confessam facta promissione eos sursum ducit, sed post sex dies, ut reliqui discipuli nihil patiantur humanum, idest aliquem invidiæ motum; vel ut horum dierum spatio vehementiori concupiscentia repleti, qui assuendi erant, sollicita mente accederent. *Rabbanus.* Merito autem post sex dies gloriam illam ostendit, quia post sex ætates futura est resurrectio. *Origenes.* Vel quia in sex diebus (1) totus factus est visibilis mundus; qui transcendit omnes res mundi, potest ascendere super montem excelsum, & gloriam aspicere Verbi Dei. *Chrysostomus* (hom. 57.) Ideo autem hos tres assumpsit, quoniam alii potiores erant. Intende autem qualiter Mattheus non occultat eos qui sibi præpositi sunt: hoc enim & Joannes facit, præcipuus Petri laudes commemorans. Ab æmulatione enim, & vana gloria mundus fuit Apostolorum chorus. *Hilarius* (can. 17. in Matth.)

In tribus autem assumptis, de trium origine, Sem, Cam, & Japhet, futura electio populi ostenditur. *Rabbanus* (hoc loco.) Vel tres solummodo discipulos secum ducit: quia multi sunt vocati, pauci vero electi: Vel (2) quia qui nunc fidem Sanctæ Trinitatis incorrupte servant, tunc æterna ejus visione lætantur. *Remigius.* Ostensus autem Dominus gloriam suæ claritatis discipulis, duxit eos in montem: unde sequitur: *Et duxit illos in montem excelsum seorsum:* in quo docet quia necesse est omnibus qui Deum contemplari desiderant, ut non in infimis voluptatibus jaceant, sed amore superiorum semper ad cælestia erigantur; & ut ostendat discipulis quatenus gloriam divinæ claritatis non in hujus sæculi profundo quærant, sed in cælestis beatitudinis regno. Ducuntur autem seorsum, quia sancti viri toto animo, & fidei intentione separati sunt a malis, funditusque separantur in futuro: vel quia multi vocati, pauci vero electi.

Sequitur: *Et transfiguratus est ante eos.* Hieronymus (super *Et transfiguratus est.*) Qualis enim futurus est tempore judicandi, talis Apostolis apparuit. Nemo autem putet pristinam eam formam, & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, & assumpsisse corpus spirituale, vel æreum; sed quomodo transfiguratum sit, Evangelista demonstrans dicit: *Et res-*

(1) *Al.* totus perfecti numeri factus est &c., (2) *Al.* omittitur quia,

plens

plenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Ubi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Certe transformatus est postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtrahit, etsi corpus spirituale fuerit: unde & vestimenta mutata sunt, quæ intantum fuere candida ut alius Evangelista dixerit, qualia fullo super terram non posset facere: hujusmodi autem corporale est, & tactui subjacet, non spirituale, & aereum, quod illudat oculos, & tantum in phantasmate aspicitur. *Remigius.* Si autem facies Domini resplenduit sicut sol, & sancti sicut sol fulgebunt; numquid erit æqualis claritas Domini, & servorum? Nequaquam. Sed quia nihil lucidius invenitur sole, idcirco ad manifestandum exemplum futuræ resurrectionis, & facies Domini resplendere, & justii fulgere dicuntur sicut sol. *Origenes* (in Matth. cap. 17. tract. 5.) Mystice autem, cum aliquis transierit sex dies, secundum quod diximus, videt transfiguratum Jesum ante oculos cordis sui. Diversas enim habet Verbum Dei formas, apparet unicitque secundum quod videnti expedire cognoverit; & nemini supra quod capit, semetipsum ostendit: unde non dixit simpliciter, *Transfiguratus est*, sed *coram eis*. In Evangelio enim Jesus (1) simpliciter intelligitur ab eis qui non ascendunt per (2) excitationem verborum spiritualium super excelsum sapientie montem; eis autem qui ascendunt, jam non secundum carnem cognoscitur, sed Deus Verbum intelligitur. Coram his ergo transfiguratur Jesus, & non coram illis qui sunt deorsum in conversatione terrena viventes. Hi autem coram quibus transfiguratur, facti sunt filii Dei, & ostenditur eis sol esse justitiæ; & vestimenta ipsius sunt candida sicut lumen; quæ sunt sermones, & litteræ Evangeliorum, quibus Jesus est indutus, secundum illa quæ ab Apostolis dicuntur de eo. *Glossa.* (a) Vel vestimenta Christi sanctos significant; de quibus Esaias cap. 49. „Omnibus his velut vestimento vestieris:“ (3) & nivi comparantur, quia candidi erunt virtutibus, & omnium vitiorum æstus ab eis remotus erit.

Sequitur: *Et apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* *Chrysostomus* (hom. 57. in Matth.) Hoc autem multas habet rationes. Et prima quidem est hæc. Quia enim turbæ dicebant eum esse Eliam, vel Hieremiam, aut unum ex Prophetis, capita Prophetarum se-

cum ducit, ut saltem hinc videatur differentia fervorum, & Domini. Alia ratio est. Quia enim continue Jesum accusabant Judæi tanquam transgressorem legis, & blasphemum, Patris sibi gloriam usurpantem; ut ostendatur ab utraque accusatione innocuus, eos qui in utroque fulserunt, in medium ducit. Etiam Moyses legem dedit, & Elias pro gloria Dei æmulator fuit. Alia ratio est, ut discant quoniam mortis & vitæ potestatem habet: propter hoc & Moysen, qui morte defecerat, & Eliam, qui nondum mortem passus fuerat, in medium ducit. Aliam causam & ipse Evangelista revelat, scilicet monstrare crucis gloriam, & mitigare Petrum, & alios discipulos passionem timentes: loquebantur enim, ut alius Evangelista dicit, de excessu quem completurus erat in Hierusalem: unde eos in medium ducit qui se morti exposuerunt pro his quæ Deo placebant, & pro plebe credentium: etenim tyrannus uterque se libere præsentavit, Moyses quidem Pharaoni, Elias autem Achab. Ducit autem & propter hoc eos in medium: volebat enim quod discipuli illorum privilegia zelarent, ut scilicet fierent mansueti sicut Moyses, & zelantes sicut Elias. *Hilarius* (can. 17. in Matth.) Quod etiam Moyses, & Elias ex omni sanctorum numero assunt, medius inter legem & Prophetas Christus in regno est: cum his enim Isaacem, quibus testibus (4) prædicatus est, iudicabit. *Origenes* (in cap. 17. Matth. tract. 3.) Si quis etiam intelligit spirituale legem convenientem sermonibus Jesu, & in Prophetis absconditam Christi sapientiam; ille vidit Moysen, & Eliam in gloria una cum Jesu. *Hieronymus* (super *Ecce apparuit Moyses.*) Considerandum est etiam, quod scribis, & pharisæis de cælo signa poscentibus dare noluit: hic verò, ut Apostolorum augeat fidem, dat signum de cælo, Elia inde descendente quo conscenderat, & Moysæ ab inferis resurgente: quod & Achaz per Esaiam præcipitur, ut patet sibi signum de inferno, vel de excelsu. *Origenes* (ubi supra.) Quid autem fervidus Petrus dixerit, subditur: *Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse.* Quia enim audivit quod oportet eum Hierosolymam ire, adhuc timet pro Christo: sed post increpationem non audet dicere rursus, *Propitius esto tibi*; sed idem occulte per alia signa insinuat. Quia enim videbat multam quietem, & solitudinem, cogitavit convenientem ibi stationem esse ex loci dispositione; quod significat dicens: *Bonum est nos hic esse.* Vult etiam ibi semper esse; ideo

taber-

(1) Al. similiter. (2) Al. exercitationem. (3) Al. & vivi operantur. (4) Al. prædicaturus.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo.

tabernaculorum meminit; dicens: *Si vis, faciamus hic tria tabernacula.* Cogitavit enim quod si hoc fieret, non ascenderet Hierosolymam; & si non ascenderet, Christus non moreretur: ibi enim sciebat scribas insidiari ei. Cogitabat etiam quod Elias aderat, qui in monte ignem descendere fecit, & Moyses, qui intravit nebulam, & Deo locutus est: unde occultari poterant, ut nullus persecutorum sciret ubi essent. *Remigius.* Vel aliter. Vita Domini majestate, & duorum fervorum, Petrus adeo delectatus est ut cuncta temporalia oblivioni traderet, & ibi in perpetuum vellet manere. Si autem tunc Petrus sic accensus est, quanta erit savitas, & dulcedo videre Regem in decore suo, & interese choris Angelorum, & omnium sanctorum? In eo sane quod ait Petrus, *Domine si vis*, devotionem (1) subditi, & obediens servus ostendit. *Hieronymus* (super illud, *Si vis, faciamus hic tria tabernacula.*) Erras tamen Petre, & sicut alius Evangelista testatur, nescis quid dicas. Noli tria tabernacula querere, cum unum sit tabernaculum Evangelii, in quo lex, & Prophetæ recapitulanda sunt. Si autem quæris tria tabernacula, nequaquam servos cum Domino conferas; sed fac tria tabernacula, immo unum Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: ut quorum est una divinitas, unum sit in peccatore tuo tabernaculum. *Remigius.* Erravit etiam, (2) quia voluit ut regnum electorum constitueretur in terra; quod Dominus promiserat dare in cælis. Erravit etiam, quia oblitus est se, & socios suos esse mortales; & absque gustu mortis voluit subire æternam felicitatem. *Rabbanus* (hoc loco.) Et in eo quod caelesti conversationi tabernacula faciendâ putavit; in qua domus necessaria non erat, cum scriptum sit Apoc. 21. „Templum non vidi in ea.“

(b) *Hieronymus.* Qui (3) carnale ex stondibus, aut tentoriis quærebant tabernaculum, nubis lucida operiuntur umbraculo: unde dicitur: *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.* *Chrysostomus* (hom. 57. ante med.) Cum Dominus comminatur, nubem tenebrosam ostendit, sicut in Sina; hic autem, quia non terrere volebat, sed docere; nubes apparuit lucida. *Origenes* (ubi supra.) Lucida autem nubes obumbrans sanctos, est virtus paterna, vel forte Spiritus Sanctus: dicam etiam Salvatorem nostrum esse lucidam nubem, quæ obumbrat Evangelium, & legem, & Prophetas; si cur intelligunt qui possunt aspicere lumen ipsius in præmissis. *Hieronymus* (super *Adhuc eo* S. Thom. Oper. Tom. VIII.

loquente.) Quia vero imprudenter interrogaverat Petrus, propterea Domini responsum non meretur; sed Pater respondet pro Filio, ut verbum Domini (Joan. 8.) completeretur: „Qui me misit, ipse de me testimonium perhibet.“ *Chrysostomus* (hom. 57. ante medium.) Neque autem Moyses loquitur, neque Elias, sed Pater omnibus major vocem emittit ex nube, ut discipuli credant quod à Deo hæc vox erat. Semper enim apparere solet Deus in nube, sicut scriptum est Psal. 96. „Nubes, & caligo, in circuitu ejus:“ & hoc est quod dicitur, *Et ecce vox de nube.* *Hieronymus* (ut supra.) Vox quidem Patris de cælo loquentis auditur, qui testimonium perhibeat Filio, & Petrum, errore sublato, doceat veritatem; immo per Petrum ceteros Apostolos: unde subdit dicens: *Hic est Filius meus dilectus*; huic est faciendum tabernaculum, huic obtemperandum: hic est Filius, illi servi sunt: unde subdit dicens: *Manet enim pater in penetralibus cordis sui Domino tabernaculum præparare.* *Chrysostomus* (hom. 57. circ. medium.) Ne igitur timeas Petre. Si enim potens est Deus, manifestum est quia & Filius similiter potens est: si autem diligitur, ne timeas: nullus enim eum quem diligit, prodi; nec tu æqualiter eum diligit genitori. Neque autem solum diligit eum, quia genuit, sed & quia unicus est voluntatis cum ipso: sequitur enim: *In quo mihi complacui*; ac si diceret: In quo requiesco, quem accepto: quia omnia quæ vult Patris, cum diligentia exequitur, & est voluntas una ipsius, & Patris: quare & si crucifigi vult, non contradicatur. *Hilarius* (can. 17. in Matth.) Hunc esse Filium, hunc dilectum, hunc complacitum, sed & hunc (4) audiendum, vox de nube significat, dicens, *Ipsam audite*: ut scilicet idoneus ipse præceptorum talium auctor esset qui sæculi damnatum, crucis voluntatem, obitum corporis, & post hæc regni caelestis gloriam facti confirmasset exemplo. *Remigius.* Dicit ergo, *Ipsam audite*, ac si aliis verbis diceret: Recedat umbræ legales, & typi Prophetarum, & solum coruscum lumen Evangelii sequamini. Sive ideo ait, *Ipsam audite*, ut illum esse ostenderet quem Moyses prædixerat, dicens (Deut. 18.) „Prophetam, suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me audietis ipsum.“ Sic ergo Dominus undique habuit testes, ex cælo vocem Patris, ex paradyso Eliam, ex inferis Moysen, ex hominibus Apostolos, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum. *Origenes* (tract. 3. in cap. 17. Matth.)

Y 3

Vox

(1) Al. sibi subditi obediens. (2) Al. qui. (3) Al. Quia carnale. (4) Al. audientium vox.

Vox autem de nube, aut ad Moysen, & Eliam loquitur, qui desiderabant videre Filium Dei, & audire eum; aut discipulos docet. *Glossa.* (a) Notandum autem, quod bene convenit mysterium secundæ regenerationis (quæ scilicet erit in resurrectione, ubi caro resuscitabitur) cum mysterio primæ, quæ est in baptisate, ubi anima resuscitatur. In baptisate enim Christi, operatio totius Trinitatis ostensa est: fuit enim ibi Filius incarnatus; apparuit in columbæ specie Spiritus Sanctus, & Pater fuit ibi in voce declaratus; & similiter in transfiguratione, quæ est sacramentum secundæ regenerationis, tota Trinitas apparuit: Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube. Queritur autem quare Spiritus Sanctus ibi in columba, hic in nube declaratus est. Dona siquidem sua per species declarare solet. Innocentiam ætatem in baptisate donat, quod per avem simplicitatis designatur. Daturus est autem claritatem, & refrigerium in resurrectione; & ideo in nube refrigerium, in fulgore nubis claritas resurgentium corporum designatur. Sequitur: *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Hieronymus (super *Audientes discipuli ceciderunt.*) Triplicem autem ob causam pavore terrentur: vel quia se errasse cognoverant, vel quia nubes lucida operuerat eos; aut quia Dei Patris vocem loquentis, audierant: humana enim fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet, ac toto animo, & corpore contremiscens ad terram cadit: quanto enim quis ampliora quaesierit, tanto magis ad inferiora collabitur, si ignoraverit mensuram suam. *Remigius.* In eo vero quod sancti Apostoli in faciem ceciderunt, fuit indicium sanctitatis: quia sancti in faciem cadere dicuntur, impii vero retrorsum. *Chrysostronus* (ut supra.) Sed cum ante in Christi baptisate, quando talis etiam vox de caelo delata est, nullus ex turba quæ aderat, tale aliquid passus est, quomodo discipuli in monte ceciderunt? Quia scilicet & sollicitudo, & altitudo, & silentium erat multum, & transfiguratio stupore plena, & lumen purum; & nubes extensa: ex quibus omnibus stupor in eis congregabatur. *Hieronymus* (super *Accessit Jesus.*) Quia vero illi jacebant, & surgere non poterant, ipse clementer accedit, & tangit eos, ut tactu fuget timorem, & debilitata membra solidentur; & hoc est quod dicitur: *Et accessit Jesus, & tetigit eos.* Quos autem manu sanaverat, etiam sanavit imperio: unde sequitur: *Dirigite eis: Surgite, & nolite timere.* Primum timor expellitur, ut postea doc-

(1) *Al. deest jam.*  
Ex edit. P. Nicol.

(2) Quod subditur ex Glossa, nec in ea est, quæ nunc extat, nec etiam habetur in Anselmo.

trina tribuatur. Sequitur: *Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum:* quod rationabiliter factum est, ne si Moysès, & Eliam perseverassent cum Domino, Patris vox videretur incerta cui potissimum daret testimonium. Vident etiam Jesum stantem ablata nube, & Moysen, & Eliam evanuisse: quia postquam legis, & Prophetarum umbra discesserat, utrumque in Evangelio reperitur. Sequitur: *Et descendentibus illis de monte præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem hanc, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Non vult ergo in populis prædicari, ne & incredibile esset pro rei magnitudine, & post tantam gloriam apud rudes animos sequens cur scandalum faceret. *Remigius.* Sive quia, si majestas illius divulgaretur in populo; populi impedirent dispensationem passionis ejus, resistendo principibus sacerdotum; & sic redemptio humani generis retardaretur. *Hilarius* (can. 17.) Silentium etiam rerum gestarum quas viderant imperat, ut cum essent Spiritu Sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes essent. (c) *Hieronymus* (super *Quid ergo scribæ dicunt.*) Traditio phariseorum est, juxta Malachiam Prophetam, quod Elias veniat ante Salvatoris adventum, & redcat eorum patrum ad filios, & filiorum ad patres, & restituit omnia in antiquum statum. Abstinent ergo discipuli transformationem gloriæ hanc esse, quam in monte viderant; & ideo dicitur: *Et interrogaverunt eum discipuli ejus dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* ac si dicerent: Si (1) jam venisti in gloriam, quomodo præcursor tuus non apparet? Maxime autem hoc dicitur, quia Eliam viderant recessisse. *Chrysostronus* (hom. 58.) Non autem adventum Eliæ discipuli de Scripturis sciebant; sed scribæ eis manifestabant; & ferebatur hic sermo in plebe indocta; sicut & de Christo. Non autem, ut oportebat, adventus Christi, & Eliæ à scribis interpretabatur. Scripturæ enim duos dant Christi adventus; eum scilicet qui factus est, & eum qui futurus est. Sed scribæ plebem evértentes, secundum adventum solum commemorabant plebi, & dicebant: Quoniam si hic est Christus, oportebat Eliam prævenire. Est igitur solutus, quam Christus inducit. Sequitur: *At ille respondens ait: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit.* Ne autem exitimes eum in sermone errasse, si quandoque dicit Eliam venturum, & quandoque venisse; cum enim dicit, quod Elias ven-

turus est, & restituit omnia, de ipso Eliam propria persona loquitur; qui quidem restituit omnia, dum corriget infidelitatem Judæorum, qui tunc invenitur; quod est convertere corda patrum ad filios, id est Judæorum ad Apostolos. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 21.) Vel restituit omnia, id est eos quos Antichristi persecutio perturbaverit: vel ut ipse restituit moriendo, quæ debet. *Chrysostronus* (hom. 58.) Si autem tot bona erunt ex Eliæ præsentia, quare tunc non eum misit? Dicemus, quia & tunc Christum æstimantes Eliam, non crederent ei. Tunc autem Eliæ (1) credent, quia cum post tantam expectationem venerit, annuntians Jesum, facilius suscipient quæ ab eodem dicentur. Cum vero dicit, quod *Elias jam venit*, Joannem Eliam vocat, propter ministerii modum: sicut enim Elias secundi adventus præcursor erit, ita Joannes præcursor factus est primi. Propter hoc autem Joannem Eliam nominat, ut ostendat primum suum adventum veteri testamento, & prophetiæ convenire. *Hieronymus* (super *Elias venturus est.*) Ipse ergo qui venturus est in secundo Salvatoris adventu juxta corporis fidem, nunc per Joannem venit in virtute, & spiritu. Sequitur: *Et non cognoverunt eum; sed fecerunt in eo quacumque voluerunt; hoc est, spreverunt, & decollaverunt eum.* *Hilarius* (can. 17.) Ut Domini adventum prænuntians, passionem quoque præcurreret & injuriæ, & vexationis exemplo: unde sequitur: *Sic & Filius hominis passurus est ab eis.* *Chrysostronus* (hom. 58.) In quo oportune suam passionem commemorat ex passione Joannis, multam eis præbens consolationem. *Hieronymus* (ubi supra.) Queritur ergo, cum Herodes, & Herodias Joannem interfecerint, quomodo ipsi quoque Jesum crucifixisse dicantur, cum legamus eum à scribis, & phariseis interfecum. Et breviter respondendum, quod in Joannis necem phariseorum factio consenserit, & in occasione Domini Herodes junxerit voluntatem suam, qui illatum atque despectum remisit ad Pilatum, ut eum crucifigeret. *Rabbanus* (super *Intellexerunt quia de Joanne.*) Ex indicio autem passionis suæ, quam Dominus eis sæpius prædixit, & præcursoris sui, quam jam completam cernebant, discipuli cognoscebant Joannem sibi in Eliæ vocabulo demonstratum esse: unde sequitur: *Tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis.* *Origenes* (tract. 3. in 17. cap. Matth.) Quod autem dixit propter Joannem, *Elias jam venit*, non anima Eliæ est intelligenda, ne incidamus in dogma transcorporationis, quod alie-

rum est ab ecclesiastica veritate; sed, sicut Angelus prædixit, venit in spiritu, & virtute Eliæ. (d) *Origenes* (tract. 3. ubi supra.) Concupiscens Petrus spectabilem illam vitam, & præponens utilitatem suam utilitatibus plurimorum, dicebat: *Bonum est nos hic esse.* Sed quoniam caritas non quaerit quæ sua sunt, hoc quod videbatur bonum Petro, non fecit Jesus; sed quasi de monte excelso divinitus descendit ad turbam, ut qui non poterant ascendere sursum propter infirmitatem animarum suarum, illis proficiat unde dicitur: *Et cum venisset ad turbam:* nihil enim cum discipulis suis electis venisset ad turbam, non accessisset ad eum ille de quo subditur: *Accessit ad eum homo genibus prostratus, ait eum, dicens: Domine, miserere filio meo.* Ubi considerandum est, quod quandoque qui patiuntur, credunt, & deprecantur pro sua salute; quandoque autem pro eis alii faciunt, sicut nec qui genibus volvitur, pro filio rogat: quandoque vero à semetipso Salvator etiam à nullo rogatus, sanat. Primo autem quaeramus quid est quod sequitur: *Quia lunaticus est, & mala patitur.* Mèdici ergo loquuntur quæ volunt: quia nec imundum spiritum arbitrantur; sed corporalem aliquam passionem; & dicunt humida moveri in capite secundum aliquam compositionem ad lumen lunare, quod humidam habet naturam. Nos autem qui Evangelio credimus, dicimus hanc passionem imundum spiritum in hominibus operari. Observat enim quædam (2) schemata lunæ, & sic operatur, ut ab observatione lunæ pati homines mentiantur, & per hoc culpabilem Dei creaturam ostendat: sic & alii demones secundum aliqua stellarum schemata insidiantur hominibus, (3) ut iniquitatem in excelsis loquantur, quædam stellas dicentes maleficas, quædam beneficas; cum nulla stella à Deo sit facta ut male faciat. In hoc autem quod subditur: *Nam sæpe cadit in ignem; & crebro in aquam.* *Chrysostronus* (hom. 58.) considerandum est, quod nisi providentia hic homo esset (4) munus, dudum perisset: dæmon enim qui ipsum in ignem, & in aquam mittebat, interfecisset eum omnino, nisi Deus eum refrænasset. *Hieronymus* (super *Miserere filio meo.*) Quod autem dicit, *Et obliquum discipulis tuis, & non poterunt curare eum,* latenter accusat Apostolos; cum impossibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt, fidem referatur. *Chrysostronus* (ubi supra.) Insuper autem & aliunde ejus insipientiam, quæ licet co-

(1) *Al. crederent.* (2) *Al. schemata.* (3) *Al. ut iniquitatem cum in excelsis loquantur.* (4) *Al. potius, ut in excelsis loquantur.*

rari turba interpellat Jesum adversus discipulos. Sed ipse eos liberat ab accusatione, defectum curationis imputans illi: ex multis enim monstratur eurti infirmum in fide fuisse. Non tamen tantum in ejus personam invehitur, ne ipsum conturbaret, sed in omnes Judæos. Probabile est enim multos presentium de discipulis inconvenientia cogitasse; & ideo sequitur: *Respondens Jesus ait: O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum? Usquequo patiar vos?* Per hoc autem quod dicit, *Usquequo ero vobiscum?* ostendit desideratam ab eo esse mortem; & concupiscibilem recessum. *Remigius.* Sciendum quoque, quia Dominus non tantum tunc ceperat pati improbitatem Judæorum, sed à longo prius tempore; & ideo hic dicit: *Usquequo patiar vos?* ac si dicat: Quia longo tempore cœpi pati vestras improbitates, ideo indigni estis mea presentia. *Origenes* (tract. 3.) Vel quoniam non potuerant eum sanare discipuli, quasi adhuc medicæ fidei constituti, propterea dicit: *O generatio incredula;* & quod ait, *Perversa,* ostendit quoniam ex perveritate malicia est introducta extra naturam. Puto autem, quod propter perveritatem totius humani generis, quasi gravatus malicia eorum, dixit, *Usquequo ero vobiscum?* *Hieronymus* (super *O generatio perversa?*) Non autem credendum est quod tædio superatus sit, & mansuetus, ac mitis in verba furoris eruperit; sed quod in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat: *Usquequo ascendam in domum tuam? Usquequo artis perdam industriam, me aliud jubente, & te aliud perpetrante?* Quod autem non sit iratus homini, sed visio, ac per unum hominem Judæos arguat infidelitatis, patet ex hoc quod infert: *Afferte huc illum ad me.* *Chrysostomus* (hom. 58. prope med.). Postquam enim discipulos excusaverat, ducit patrem pueri ad spem benignam credendi, quod ab hoc malo eripietur; & ut inducatur pater ad fidem futuri miraculi, videns dæmonem tumultum pati ex hoc solum quod vocabatur, increpavit eum: unde sequitur: *Et increpavit eum Jesus.* Non ille qui patiebatur, sed dæmon increpatur. *Remigius.* In quo facto reliquit exemplum prædicatoribus, ut vitia persequantur, homines vero sublevent. *Hieronymus* (hoc loco.) Sive increpavit puerum, quia propter peccata sua à dæmone fuerat oppressus.

Sequitur: *Et exiit ab eo dæmon, & curatus est puer ex illa hora.* *Rabbanus* (super illud, *Quia lunaticus est.*) Mihi autem videtur, juxta tropologiam, lunaticus esse qui per horarum momenta mutatur ad vitia; & nunc quidem in ignem fertur, quod adulterantium corda succensa sunt, nunc in aquas, scilicet volupta-

tum, vel cupiditatum, quæ non valent extinguere caritatem. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 22.) Vel ignis ad iram pertinet, eo quod alta petat; aqua ad voluptates carnis. *Origenes* (tract. 4. in cap. 17. Matth.) De inconstantia autem peccatoris dicitur Becl. 27. „Stultus ut luna mutatur.“ Et est videre in talibus impetus quoddam quasi operum bonorum subrepere; aliquando autem quasi quadam abreptione spiritus à passionibus comprehenduntur, & cadunt à statu bono, in quo stare putabantur. Forsitan ergo Angelus, qui sortitus est hujus lunatici custodiam, pater hujus appellatur, deprecans quasi pro filio medicum animarum, ut liberet eum qui non potest sanari à passione per verbum humile discipulorum Christi, quia non recipit eorum admonitionem veluti surdus; & ideo opus est ei Christi sermone, ut jam de cetero sine ratione non agat.

(e) *Chrysostomus* (hom. 58.) Acceperant discipuli à Domino potestatem spirituum immundorum; & quia oblatum dæmoniacum curare non potuerant, videtur quod in dubitationem devenissent, ne forte gratiam, quæ erat eis tradita, perdidissent; & ideo dicit: *Tunc accesserunt ad Jesum discipuli ejus secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eicere illum?* Interrogant quidem singulariter non propter reverentiam, sed quia de ineffabili, & magna re erat eum interrogaturi.

Sequitur: *Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram.* *Hilarius* (can. 17. ante med.) Crediderant quidem Apostoli, nondum tamen erant perfectæ fidei: nam Domino in monte de-morante, & ipsis cum turbis residentibus quidam tepor eorum fidem retardaverat. *Chrysostomus* (hom. 58.) Unde manifestum est hinc quoniam & discipuli in fide infirmati sunt, sed non omnes: columnæ enim illæ non aderant, scilicet Petrus, Jacobus, & Joannes. *Hieronymus* (super *Quare nos non potuimus?*) Hoc est autem quod in alio loco Dominus dicit (infra 21.) *Quicumque in nomine meo petieritis, credentes accipietis.* Ergo quotiens non accipimus, non præstantis est impossibilitas, sed poscentium culpa. *Chrysostomus* (ubi supra.) Sciendum tamen, quod sicut multotiens accedentis fides accipere sufficit effectum miraculi; ita multotiens facientium miracula sufficit virtus, etiam non credentibus illis qui expetierint miracula operari: etenim aliqui circa Cornelium, ex propria fide allegerunt gratiam Spiritus Sancti; ille autem mortuus qui projectus est in sepulcrum Elisei, sola virtute corporis sancti rescuscitatus est. Contingit autem & tunc discipulos infirmari in fide: imperfectius enim dispo-

ti erant ante Crucem, & ideo fidem dicit hic esse causam signorum: unde subditur: *Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, Transi hinc, & transibit.* *Hieronymus* (super *Si habueritis fidem.*) Putant aliqui fidem grano synapis comparatam parvam dici, cum Apostolus dicat (1. Cor. 13.) „Et si habueris tantam fidem ita ut montes transferam.“ Magna est ergo fides quæ grano synapis comparatur. *Gregorius* 1. Moral. (in præfatione expof. Job cap. 2. in novis exemp. 4.) Granum quippe synapis nisi teratur, nequaquam virtus ejus agnoscitur; sic si virum sanctum tritura persecutionis opprimat, mox in fervorem virtutis vertitur quicquid in illo antea despicabile infirmumque videbatur. *Origenes* (tract. 4. ante med.) Vel ideo omnis fides grano synapis comparatur, quoniam contemnitur quidem fides ab hominibus, & modicum aliquid, & vile apparet; cum vero consecutum fuerit hujusmodi semen bonam animam quasi terram, fit arbor magna. Sic autem magna est prædicta lunatici infirmitas, & fortis ad curandum inter omnia mala, ut monti assimiletur, nec expellatur nisi per omnem fidem ejus qui passionem hujusmodi sanare voluerit. *Chrysostomus* (hom. 58. à med.) Unde & de translatione montium mentionem facit, & ultra procedit, dicens: *Et nihil impossibile erit vobis.* *Rabbanus.* Sic enim fides mentem nostram capacem donis cælestibus facit, ut quæcumque volumus, facillime à fideli Domino impetrare possimus. *Chrysostomus* (hom. 58. à medio.) Si autem dixeris, Ubi Apostoli montes transtulerunt? illud dicam, quia multa majora fecerunt, mortuos plurimos suscitantes. Dicuntur autem post Apostolos sancti quidam Apostolis minores, montes necessitate imminente transtulisse. Si autem Apostolorum tempore montes non sunt translati, hoc non fuit, quia non potuerunt, sed quia noluerunt, utilitate non imminente. Nec Dominus dixit, quod hoc essent facturi, & orationibus nostris spiritus malignos. *Glossa* (ordinaria super *Nisi per orationem.*) Vel hoc genus dæmonii, idest ista carnalium voluptatum mutabilitas, non vincitur nisi spiritus oratione confirmetur, & caro per jejunium maceretur. *Remigius.* Vel jejunium hic intelligitur generale, quo non solum abstinentiam à cibis, sed ab omnibus illecebris carnalibus, & peccatorum passionibus. Similiter oratio intelligenda est generalis, quæ in Apoc. 1. Theff. 5. „Sine intermissione orate.“

(f) *Remigius* Sæpe Dominus mysteria sua

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

Z 3

Paf.

idest nulla incommoditas insanabilis. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 22.) Vel aliter. Ne discipuli in miraculis faciendis extollerentur in superbiam, admoniti sunt potius per humilitatem fidei, quasi per synapis granum, elationem terrenam, quæ montis nomine significata est, curare transferre. *Rabbanus* (super *Hoc genus dæmoniorum.*) Dum autem docet Apostolus quomodo dæmon debeat expelli, omnes instituit ad vitam, ut scilicet noverimus graviora quæque vel immundorum spirituum, vel hominum tentamenta jejunii, & orationibus esse superanda; iram quoque Domini hoc remedio singulari posse placari: unde subdit: *Hoc autem genus non vincitur nisi per orationem, & jejunium.* *Chrysostomus* (hom. 58. à medio.) Quod dicit non solum de genere lunaticorum, sed & universo genere dæmonum. Jejunium enim multam sapientiam imponit, & hominem quasi Angelum de Cælo constituit, & incorporeas potestates impugnat. Sed & oratione opus est, quasi principaliori. Qui enim orat ut oportet, & jejunat, non multis indiget; & ita non fit avatus, sed ad elemosynam promptus est. Qui etiam jejunat, levis est, & vigilantior orat, & concupiscentias perniciosas extinguit, & propitium Deum facit, & animam superbiam humiliat. Qui ergo orat cum jejunio, duplices habet alas, etiam ipsis ventis leviores. Neque enim osecitat, & torpet orans (quod & multi patiuntur) sed est igne vehementior, & terra fixior; ideoque talis maxime dæmonii adversatur: nihil enim est homine decenter orante potentius. Si autem infirmum est tibi corpus ad continue jejunandum, non tamen ad orandum; & si jejunare non potes, potes tamen non lascivire. Non parvum autem est hoc, neque multum à jejunio distans. *Origenes* (tract. 4. in 17. cap. Matth. ante medium.) Si ergo aliquando oportuerit nos circa curationem tale aliquid patientium permanere, non adjuremus, neque interrogemus, neque loquamur quasi audienti spiritui immundo, sed abigamus jejunii, & orationibus nostris spiritus malignos. *Glossa* (ordinaria super *Nisi per orationem.*) Vel hoc genus dæmonii, idest ista carnalium voluptatum mutabilitas, non vincitur nisi spiritus oratione confirmetur, & caro per jejunium maceretur. *Remigius.* Vel jejunium hic intelligitur generale, quo non solum abstinentiam à cibis, sed ab omnibus illecebris carnalibus, & peccatorum passionibus. Similiter oratio intelligenda est generalis, quæ in Apoc. 1. Theff. 5. „Sine intermissione orate.“

(f) *Remigius* Sæpe Dominus mysteria sua

Z 3

Paf.

Passionis discipulis prædixit, ut quando acciderent, tanto levius ea ferrent quanto præcognita haberent; & ideo hic dicitur: *Conversantibus autem eis in Galilæa, dicit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum; & occidetur. Origenes* (tract. 4.) Videntur quidem hæc illis quæ supra dixerat, finis esse, ut facile quis dicat, Dominum eadem ipsa reperere, quod non est ita: tradendum enim, superius non est dictum; hic autem non solum tradendum, sed etiam in manus hominum tradendum audivimus. Traditum igitur Apostolus Filium narrat à Deo Patre; sed etiam contrariæ potestates eum in manus hominum tradiderunt. *Hieronymus* (super *Conversantibus autem eis*.) Semper autem prosperis miscet tristitia: si enim contristat eos, quia occidendus est, debet lætificare quod subditur, *Et die tertia resurget. Chrysostrmus* (hom. 59.) Neque enim multum tempus dixit quo in morte maneret; sed tertia die se dixit resurrecturum. *Origenes* (ubi supra.) Prædicente autem hæc Domino, tristitati sunt discipuli: unde sequitur: *Et contristati sunt vehementer*, non attendentes ad illud quod dixerat: *Et tertia die resurget*, nec considerantes quis esset cui ad destruendam mortem trium dierum tempus sufficeret. *Hieronymus* (ubi supra.) Porro quod contristabantur vehementer, non de infidelitate venit; verum pro dilectione Magistrum, nihil de eosimistrum, & humile patiuntur audire.

(b) *Glossa* (a) Quia discipuli audita Domini passione contristati erant, ne aliquis Passionem Christi necessitati ascriberet, non humilitati, subiungit factum, in quo Christi libertas, & humilitas demonstratur: unde dicitur: *Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Hilarius* (can. 17.) Dominus didrachma solvere postulat, (1) idest denarios: hoc enim omni Israel lex pro redemptione corporis, & animæ constituerat in ministerio templi servientium. *Chrysostrmus* (hom. 59.) Cum enim primogenita Ægyptiorum interfecit Deus, tunc tribum Levi pro eis accepit. Deinde quia primogenitis qui erant apud Judæos, minor hujus tribus numerus erat, pro deficientibus in numerum, sicut iussit inferri; & ex tunc tenuit consuetudo ut primogenita vectigal hoc inferrent. Quia igitur primogenitus erat Christus; videbatur autem discipulorum primus esse Petrus, ad eum acce-

(1) P. Nicolai legit idest denarios duos. (2) Al. Sicut Ægyptii filios Israel servi. Legit sic P. Nicolajus: extranei autem extra terram quidem liberi sunt; propter eos autem qui deprimunt eos (sicut Ægyptii filios Israel) servi.

Ex edit. P. Nicol. (a) Nihil occurrit in Glossa quæ nunc extat, nec in Anselmo, sed nec alibi apud Interpretes occurrit. (b) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo.

dunt. Et, ut mihi videtur, non in unaquaque civitate hoc exerebant: ideoque in Capharnaum adeunt Christum, quia ejus patria existimabatur. *Hieronymus* (super *Et cum pervenissent Capharnaum*.) Vel aliter. Post Augustum Cæsarem Judæa facta est tributaria, omnes cens capite ferebantur: unde & Joseph cum Maria cognata sua professus est in Bethlehem. Rufus, quoniam Dominus nutritus erat in Nazareth, quod est oppidum Galilææ subjacens Capharnaum urbi, ibi depositur tributum: & pro signorum magnitudine hi qui exigebant, non audebant ipsum reperere, sed discipulum conveniunt. *Chrysostrmus* (hom. 59.) Et neque hunc cum multa vehementia, fed mansuetius: neque enim incufantes, sed interrogantes dixerunt? *Magister vester non solvit didrachma? Hieronymus* (ubi supra.) Sive malitiose interrogant utrum reddat tributa, an contradicat Cæsaris voluntati. *Chrysostrmus* (hom. 59.) Quid igitur Petrus? *At, Etiam.* Et his quidem dixit quoniam solvit; Christo autem non dixit: erubescens fortassis pro his ei loqui. *Glossa* (b) Vel aliter. Et Petrus respondit, *Etiam*; idest, ita est quod non solvit. Voluit autem Petrus Domino intimare, quod herodian pereterat censum; sed Dominus prævenit eum: unde sequitur: *Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Reges terræ à quibus recipiunt tributum, vel censum, idest redditum de capite, à filiis suis, an ab alienis? Hieronymus* (super *Prævenit eum Jesus*.) Ante quidem quam Petrus suggerat, Dominus interrogat, ne scandalizent discipuli ad postulationem tributi, cum videant eum nosse se quæ absente se gesta sunt.

Sequitur: *At ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.* *Origenes* (tract. 4. à med.) Sermo iste duplicem habet sensum. Secundum unum enim filii Regum terræ liberi sunt apud Reges terræ; extranei autem extra terram liberi non sunt propter eos qui deprimunt eos, (2) sicut Ægyptii filios Israel. Secundum alterum autem, propter hoc ipsum quod aliqui sunt alieni à filiis Regum terræ, sed sunt filii Dei, liberi sunt qui manent in verbis Jesu, & cognoverunt veritatem, & veritas liberavit eos à servitute peccati; filii autem Regum terræ liberi non sunt: quoniam, qui faciunt peccatum, servus est peccati. *Joan. 8. Hieronymus* (super *Reges terræ*.) Dominus autem nosset & secundum carnem, & secundum spi-

ritum filius erat Regis, vel ex David stirpe generatus, vel omnipotentis Patris Verbum: ergo tributa quasi filius Regis non debebat. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 23.) Dicit enim in omni regno liberos esse filios, idest non esse vectigales. Multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni ipsius, sub quo sunt omnia regna terræ. *Chrysostrmus* (hom. 59.) Si autem non erat filius, inaniter hoc exemplum induxit. Sed dicit aliquis: Filius est, sed non proprius: est ergo alienus; & sic hoc exemplum non habet veritatem: ipse enim de propriis filiis disputat, ad quorum differentiam alienos vocat qui non ex parentibus substantialiter nati sunt. Intende autem qualiter, & hinc Christus certificat eam cognitionem quæ Petro revelata est à Deo, per quam dixit supra 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* *Hieronymus* (ubi supra.) Quamvis ergo liber esset, qui tamen humilitatem carnis assumpsit, debuit omnem justitiam adimplere: unde sequitur: *Ut autem non scandalizemur eos, vade ad mare. Origenes* (in 17. cap. Matth. tract. 4.) Consequens quoque est intelligere quoniam quotiens exurgunt quidam qui per justitiam tollant nostra terrena, Reges hujus terræ eos transmittunt, ut exigant nobis quæ sunt ipsorum; & suo exemplo prohibet Dominus aliquod scandalum fieri etiam hujusmodi hominibus, sive ne amplius peccent, sive ut salventur. Filii enim Dei, qui nullum opus fecit servile, quasi habens formam servi, quam propter hominem suscepit tributum, & censum dedit. *Hieronymus* (a) (super *Ut autem non scandalizemur*.) Quid primum in hoc loco mirer nescio: utrum præscientiam, an magnitudinem Salvatoris: præscientiam, quod noverat habere piscem in ore staterem, & quod primus ipse capiendus esset; magnitudinem, atque virtutem, si ad ejus verbum stater in ore piscis creatus est; & quod futurum erat, ipse loquendo fecerat. Ipse ergo Christus propter eximiam caritatem, & crucem sustinuit, & tributa reddidit: nos infelices qui Christi censemur nomine, & nihil tanta dignum facimus majestate, pro illius honore, & tributa non reddimus, & quasi filii Regis à vectigalibus immunes sumus. Hoc etiam simpliciter intellectum ædificat auditorum, dum audit Dominum tantæ fuisse paupertatis ut unde tributa pro se, & Apostolo red-

deret, non haberit. Quod si quis objicere voluerit, quomodo Judas in loculis portabat pecuniam; respondebimus: Rem pauperum in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tributum exemplum. *Chrysostrmus* (hom. 59.) Vel ideo non ex repositis jubet dare, ut ostendat quod maris & piscium dominetur. *Origenes* (ubi supra.) Vel quoniam Jesus non habuit imaginem Cæsaris (princeps enim hujus sæculi nihil habebat in eo) propterea non ex proprio, sed ex mari imaginem Cæsaris accepit. Non autem suscepit ipse staterem, neque fecit eum sibi possessionem, ne sit aliquando imago Cæsaris apud imaginem invisibilis Dei. Vide etiam Christi prudentiam, qualiter nec tenuit tributum, nec simpliciter jubet dari; sed prius ostendit se non esse obnoxium, & tunc dat: quorum unum fecit, scilicet dare tributum, ut illi, scilicet exactores, non scandalizentur; hoc autem, scilicet ut ostendat se liberum, ut non scandalizentur discipuli. Alio vero loco contemnit pharisæorum scandalum, quando de eis disputabat; docens nos scire tempora secundum quæ oportet non contemnere eos qui scandalizantur, & secundum quæ oportet contemnere. *Gregorius* super Ezech. (hom. 7.) Considerandum enim est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquantur. *Chrysostrmus* (hom. 59.) Sicut autem suspensus de Christi virtute, ita admirare Petri fidem, quoniam rei tam difficili obedivit. Ideoque de fide eum remunerans, copulavit eum sibi in tribulatione; quod fuit abundantis honoris, & hoc est quod dicitur: *Inveniens staterem, illum sumens da eis pro me, & te.* *Glossa* (b) Consuetudo enim erat ut unusquisque pro se didrachma redderet. Stater vero est pondus duorum didrachmatum. *Origenes* (ubi supra paulo ante finem.) Mystice autem in agro consolationis (sic enim interpretatur Capharnaum) consolatur omnem discipulum, & liberum filium esse pronuntiat, & dat ei virtutem piscandi primum piscem, ut ascendente eo, consolationem accipiat Petrus super eum quem piscatus est. *Hilarius* (can. 17.) Cum autem primum piscem admonetur Petrus inquirere, ascensuri ostenduntur, & plures. Beatus ille primus martyr Stephanus, primus ascendit, & staterem in ore

Ex edit. P. Nicol. (a) Non eodem ordine quo hic, ac eadem serie, sed primam istam appendicem sequenti substituens, ac illam ipsam quidem subsequenter, serie rursus aliquatenus immutata, præmittens, & sine illis verbis *propter eximiam caritatem*, quæ insinuat Apostolus Ephes. 2. 4. ultimam autem infra primam submitbens, quibusdam tamen interjectis, quæ ad mysticum sensum spectant.

(b) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo.

ore contigit; in quo didrachma novæ prædicationis tanquam duo denarii (1) habebantur: Dei enim gloriam, & Dominum Christum in passione contuens prædicabat. *Hieronymus* (in sine Comment. in cap. 17. Matth.) Vel iste piscis (2) primus captus, est primus Adam, qui per secundum Adam liberatur; & id quod in ore ejus, hoc est in confessione, fuit inventum, pro Petro, & Domino redditur. *Origenes* (ubi supra.) Cum etiam videris avarum hominem ab aliquo Petro correctum, quod abstulit de ore ejus verbum pecuniæ; dices eum ascen-

diffe de mari, idest de fluctibus sollicitudinum avaritiæ, ad hamum rationalem; & comprehensum, atque salvatum ab aliquo Petro, qui eum docuit veritatem, ut pro fratre habeat imaginem Dei, idest eloquia ejus. *Hieronymus* (ubi supra.) Et pulchre illud ipsum quidem datur pretium; sed divisum est: quia pro Petro quasi pro peccatore pretium reddebatur; Dominus autem noster peccatum non fecit. Ostenditur autem similitudo carnis, dum eodem & Dominus, & servus pretio liberantur.

(1) *Al.* habentur. (2) *Al.* qui primus.

## CAPUT XVIII.

(a) **I**N illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in Regno Cælorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis: nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cælorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit; qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

(b) **V**æ mundo à scandalis. Necessè est enim ut veniant scandala; verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum est tibi unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

(c) **V**idete ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis quia Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Patris mei qui in Cælis est. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis; nonne relinquit novaginta novem in montibus, & vadit querere eam quæ erravit? Et si contigerit ut inveniat eam; amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super novaginta novem quæ non erraverunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in Cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.

(d) **S**i autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripue eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.

(e) **A**men dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in Cælis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

(f) **T**unc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccaverit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

(g) **I**deo assimilatum est Regnum Cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatum est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venditari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Prociens autem servus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille, invenit unum de servis suis, qui debebat ei centum denarios; & tenens, suffo-

cabat eum, dicens: Redde quod debes. Et prociens servus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit; sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt, & narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui miserus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus quoadusque redderet unumquemque debitum. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unumquemque fratri suo de cordibus vestris.

(a) **H**ieronymus (in princ. Comment. in 18. cap.) Quia discipuli viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, (1) ex æqualitate pretii arbitrati sunt omnibus Apostolis Petrum esse prælatum. *Chrysostomus* (hom. 59.) Unde passi sunt aliquid humanum; quod Evangelista designat dicens: In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in Regno Cælorum? Verecundati siquidem passionem confiteri, quam passi sunt, non dicunt manifeste: Petrum cur præhonorasti nobis? sed indeterminate interrogant: Quis major est? Quando autem tres præhonoratos viderunt, scilicet Petrum, Jacobum, & Joannem in transfiguratione, nihil tale passi sunt; quando vero in unum solum contulit honorem, tunc doluerunt. Tu autem considera primum quidem quod nihil eorum quæ sunt in terris, querunt; deinde quod postea hanc passionem deposuerunt. Nos autem neque ad defectus eorum contingere possumus: neque enim querimus: Quis major est in Regno Cælorum? sed, Quis major est in regno terræ? *Origenes* (Matth. 18. tract. 5.) In his autem imitatores discipulorum esse debemus, si quando aliquid in nobis dubium quæritur, & non invenitur, ut cum omni consensu accedamus ad Jesum, qui potens est illuminare corda hominum ad intelligendum solutionem omnium questionum. Interrogemus etiam aliquem doctorum, qui præpositi habentur in Ecclesiis. Sciebant autem discipuli hoc interrogantes, quia non est æqualitas Sanctorum in regno cælesti; sed quomodo major, & qualiter vivens minimus, hoc discere cupiebant. Vel sciebant quis esset minimus, & quis magnus, ex eo quod supra Dominus dixerat; sed ex multis magnis quis esset major, hoc eis non erat manifestum. *Hieronymus* (ubi supra.) Videns autem Jesus cogitationes eorum (2) voluit desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare: unde sequitur: Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum. *Chrysostomus* (hom. 59. in Matth.)

Mihi videtur valde parvulum in medio statuere, omnibus passionibus exutum. *Hieronymus* (super Et advocans Jesus parvulum.) Ut in eo & ætatem quæreret, & similitudinem innocentie demonstraret. Vel certe parvulum statuit in medio eorum seipsum, qui non venerat ministrari, sed ministrare, ut eis humilitatis tribueret exemplum. Alii parvulum interpretantur Spiritum Sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum, ut superbiam in humilitatem mutaret. Sequitur: Et dixit: Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Non præcipit Apostolis ut ætatem habeant parvulorum, sed innocentiam, & quod illi per annos possident, hic possideant per industriam; ut malitia, non sapientia parvuli sint; ac si dicat: Sicut iste parvulus, ejus vobis exemplum tribuo, non perseverat in iracundia, lætus non meminit, videns pulchram mulierem, non delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur; sic & vos, nisi talem habueritis innocentiam, & animi puritatem, in Regnum Cælorum non poteritis intrare. *Hilarius* (can. 18. in Matth. circ. princ.) Pueros etiam credentes omnes (3) per audientie fidem nuncupavit: hi enim patrem sequuntur, matrem amant, velle malum nesciunt, curam (4) operum negligunt, non insolefcunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Littera ergo sic legitur. *Glossa* (a) Nisi conversi fueritis ab hac elatione, & indignatione, in qua modo estis, & efficiamini omnes (5) ita innocentes, & humiles per virtutem, sicut parvuli sunt per ætatem, non intrabitis in Regnum Cælorum. & quandoquidem aliter non intratur, quicumque ergo humiliorerit se sicut parvulus iste, hic major est in Regno Cælorum: quanto enim quis erit humilior, tanto major efficitur in Regno Cælorum. *Remigius*. Idest, in cognitione gratiæ, vel Ecclesiastica dignitate, vel certe in æterna beatitudine. *Hieronymus* (super Quicumque se

*S. Thom. Op. Tom. VIII.*

(1) *Al.* ex qualitate. (2) *Al.* voluit desiderio gloriæ, humilitatis contentione sanare.

(3) *P. Nicolajus* habet per audientiam fidei. (4) *Fortè* opus. (5) *Al.* omittitur ita.

EX EDIT. P. NICOI. (a) Interlinealis quo ad priores appendices, quas divisim & sparsim habet; sed posterior est Anselmi.